

10.  
Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO ETHICA

De

HONORE,

Quam

AUSPICE DEO,

Cum Suffragio Ampliff. FAC. PHILOS.  
in Regia ad Auram Academia,

Sub

P R Æ S I D I O

VIRI Celeberrimi,

DN. M. JOHAN. BERNH.  
MUNSTER/

Philos. Pract. & Hist. Professoris Ord.  
Promotoris & Præceptoris, jugiter  
suspiciendi.

*Publico & placido bonorum examini  
modestè submittit*

ANDREAS C. HERKEPÆUS,  
*Tawast.*

In diem, si DEO placebit, 9 Decemb.  
Anni M. DC. XC. IX.

---

Exc. apud Jo. LAURENT. WALLIUM.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

*Fido Viro,*

Reverendissimo in CHRISTO  
Patri ac Domino,

DN. PETRO LAUR-  
B E C C H I O,

SS. Theologiæ DOCTORI longè  
Celeberrimo,

Dicecesios Wiburgensis EPISCOPO  
Eminentissimo,

Consistorii ejusdem PRÆSIDI  
Gravissimo,

Regii Gymnasii, Musarumque  
per Dicecesin, EPHORO  
Amplissimo,

MÆCENATI & DOMINO  
suo optimo,

*Submissa devotione æternum su-  
spiciendo.*

*Admodum Reverendo & Claris-  
simo Domino,*

**DN. M. P E T R O  
C A R S T E N I O,**

**Regii Gymnasii Wiburgenfis  
S. Theol. LECTORI**

**Primario**

**Celebratissimo,**

**Templi ibidem Cath. PASTORI  
adeoque**

**ARCHI-PRÆPOSITO**

**Gravissimo,**


**Confessus Ecclesiastici Seniori  
longè dignissimo,**

**Domino & Promotori**

**suo magno,**

*devota mentis observantia statem  
debenerando.*

PACEM ET OMNIMODAM  
FELICITATEM!

nclytis, Mœcenates Maximi,  
Vestris Nominibus *pertenuis* has  
*ingenii mei primitias, magnitudo*  
*negotiorum, quibus Reverendissimus in*  
Christo Pater, Tuæq; Amplissima Digni-  
tas, *indies tenentur, meaque tenuitas &*  
*scripti vilitas inscribere, vetabant. Verum,*  
*singularis, Reverendissimi in Christo*  
Patris, & *plusquam Paterni favoris jugis*  
*recordatio; Tuæque Amplissimæ Digni-*  
*tatis pronus in literatos affectus, animum*  
*trepidum ita erexerunt atque firmarunt, ut*  
Nominum vestrorum Amplissimorum  
*splendore, pagellas has incomptas, tantoque*  
*lumine non dignas, illustrare non formida-*  
*verim, certa fretus spe, Mæcenates Maxi-*  
*mos, hoc cogitationum mearum specimen, le-*  
*ve licet, mihi suscepturos vultu, in aeternum*  
bis-

*humilimi animi & subjectionis indicium,  
meq; & studia mea, eò, quo in votis habeo,  
benignissime promoturos; quod identidem  
Reverendissimo in Christo Patri, ac,  
Tuæ Amplissimæ Dignitati, Omnis boni  
affluentiam cœlitus descendentem vovens; de-  
sidero; atque persisto*

Reverendissimi in CHRISTO  
Patris,  
&  
Tuæ Amplissimæ Dignitatis,

*Humilimus servus*  
And. C. Herkepæus.

UIRIS,

*Plurimum Reverendis, Clarissimis, Reverendis  
ac Doctissimis Dominis,*

**M. HAQUINO PIHLMANN,**

Pastori Ecclesiarum Wirmoënsium  
meritissimo, ut & Districtus adja-  
centis Præposito Gravissimo, Parenti  
& studiorum meorum Promotori  
Optimo, filiali obsequio æternum ma-  
ctando.

**M. ELIÆ WOIVALENIO,**

Præposito & Pastori in Sarmati  
meritis dignissimo, Promotori & Con-  
sanguineo propensissimo, semper mul-  
tumque suspiciendo.

**DN. PETRO FRISIO,**

Pastori in Joudzena vigilantissimo,  
Fratri honoratissimo, jugiter prole-  
quendo.

**DN. LAURENTIO FRISIO,**

Sacellano in Hauho & Zhulos fide-  
lissimo, Fratri ut Optimo, ita cha-  
rissimo amantissimoque.

SALUTEM!

**A**udacia veniam concedite, Promotores & Fautores propensissimi, quod nomina vestra spectatissima, huic plus quam simplici opelle praefigere, non sum veritus; non quidem, ut hoc nomine multitudo beneficiorum vestrorum compensetur, sed ut, animi mei gratitudo vobis de me maxime meritis, testator fiat. Tua enim Pl. Reverende Dn. Præposite, Parens optime: tot tantaque exinde, quo parentibus desid: ac Chariss: orbatus fueram, illustra in me exstiterant beneficia, ut vix ea verbis satis dignis prædicare queam, multo minus rependere possim: Vestraque Promotores & fautores propensissimi, egregia & salutaria consilia, ad ardua quævis enitendi, abunde perspecta habeo. Ea propter, hoc vile munus cartbaceum, Plur. Reverendi Dn. Præpositi & Fratres honoratissimi, in gratissima mentis tesseram excipiant, humilimè ac officiosè oro & obtestor; me, fortunasque  
*meas,*

*meas, Vester Paternus & sincerus, ut  
hactenus ita in posterum, foveat favor:  
qui Cælum continuo sollicitabo, perma-  
neatis in longam annorum seriem, felicis-  
simi superstites! atque manebo usque ad  
finem vite.*

Pl. Reverendorum Clariss.

*ac*

Doctissimorum Dm.

*devotissimus cultor*

And. C. Herkepæus.

*Auct: & Resp.*





**N**AE existimes, Candide Lector,  
dum pagellæ hæ, ab ingenio adhuc  
parum subactæ profectæ, conspe-  
ctum Tuum subeunt, me levissi-  
mæ cujusdam vanitatis, aut Thraonica osten-  
tationis causa, tenellas tenelli ingenii mei vi-  
res periclitari velle. Perpendas oro quasque,  
quam difficulter emergant, quorum conati-  
bus res angusta domi obstat, quamobrem  
etiam cum aliis egenis Musarum cultoribus  
anxias cogitare cœpi, quo demum modo tot  
prementibus undiquaque calamitatibus, at-  
que, quod adversus ardua gravis eniti cu-  
pientibus maxime obicem ponit, iniquissimo  
paupertatis oneri irem obviam; quod tamen  
fieri aliâ ratione vix posse speravi, quam ut  
tantum non mihi impossibilia tentarem, ad-  
ductus ad id effato Poetæ dicentis: Audaces  
fortuna juvat, timidosque repellit. Quod  
si, Candide Lector, humanæ conditionis non  
nescius, hoc meum propositum, licet tenui pen-  
dens

*dens filo, adprobaveris, esset de quo impense mihi gratularer, sin minus, perpendas rogo, in arbitrio non esse nostro, quid quisque vel dicat vel cogitet; quot enim capita tot sensus, aliquibus saltem placuisse mihi abunde sufficiat.*

§ I.

**U**t inoffenso pede progrediamur, morem in Scholis nostris receptum, observare necessarium ducimus, initium faciendo ab ipsa Definitione, quam talem exhibemus: *Honor est premium virtutis, viro virtute prædito, à congruente ejusdem judice tributum, ut virtus ejus refulgeat, ceterique ejus exemplo ad virtutem incitentur.* Et licet nec desint aliæ honoris definitiones atq; descriptiones, hanc tamen præ reliquis omnibus commendat perspicuitas. Et ne ignoti videamur viatores, inque profunda incognitaque erremus sylvâ, statua, viam juxta monitum B. D. Calovii in sua Methodologia, monstrans, erigenda est, per quam

quam intellectam volumus ipsam vocis  
 originationem, quam sequenti paragra-  
 pho exhibemus.

§ 2.

In definitione nominali primo loco  
 perpendenda venit Etymologia vocis,  
 quam à verbo honorare derivant, hoc  
 iterum ab honos; de cujus natalibus  
 inter Philologos omnes non convenit,  
 plerique tamen Græcis eas deberi con-  
 tendunt, vel à verbo ὄνημι juvo, utilita-  
 tem adfero, atq; profum, unde ὄνειρα-ατ  
 hoc est, utilitas, emolumentum, donum,  
 ut esset honor quasi præmium virtutis;  
 Aliis deducta reperitur ab ὠνέομαι,  
 quod ratione significationis est, emo,  
 unde nomen ὠν denotat pretium, seu  
 id quod virtuti persolvitur; Quæ vocis  
 originatio, ut ut nonnullis minus con-  
 grua videatur, salva tamen venia retine-  
 ri potest, cum gradatim quasi descendat  
 ab ὄνημι vel ὠνέομαι; quæ cognata sunt,  
 & ratione Etymologias exiguam vel  
 nullam, habent differentiam. Contenti  
 sic

sic pro ratione instituti, hac deriva-  
 tione; ipsam Errorum Genetricem Ho-  
 monymiam adgredimur, liberabitur fa-  
 cile ab æquivocationibus hæc vocula,  
 dum eam non consideramus (1) spiri-  
 tualiter, pro honore Theologico, quem  
 in hac mortali & misera vita & qui-  
 dem ex scriptis gentium frustra ex-  
 pectamus, utpote qui non nisi ex sacra  
 scriptura hauritur, sed (2) pro externo re-  
 verentiæ signo, & meritorū testimonio,  
 quod voce Præmii indigitatur, nam teste  
 Aristot: Eth: lib: 4. honor externorum  
 omnium bonorum optimum & maxi-  
 mum est. Quæ Synonymiam, potiores  
 ejus adpellationes verbo tantum tangere  
 finit brevitatis, cui maxime litamus.  
 Inprimis in foro Romano, dicitur pul-  
 chritudo, honos, dignatio, titulus, dig-  
 nitas, Majestas, decus & amplitudo.  
 Idiomate græco dicitur *εὐδαιμονία*, *εὐ-  
 πορεία*, à virtutis actionibus, ratione  
 adjunctorum *τὸ ἀγαθὸν* teste Platone.  
*τὸ ἀρετὸν*, alias ejus adpellationes consul-  
 to præterimus.

## §. III.

Hisce simpliciter pro modulo ingenii  
 præbatis, antequam ad definitio-  
 nem realem transitum facimus remo-  
 vendum est hoc obstaculum, atque bre-  
 viter disquirendum: Num summum  
 Bonum Morale consistat in hono-  
 re? quam quæstionem contra Poli-  
 ticos quosdam negamus, rationem ad-  
 ducimus, quia honor hic non causali-  
 ter, sed significativè ac relativè sumitur.  
 Et præterea expetitur, ex consensu o-  
 mnium Philosophorum, summum Bonū  
 propter se, honor autem propter aliud,  
 scilicet virtutem & ejus testimonium;  
*ἵνα πρὸς τὴν ἐαυτῶν ἀγαθῶν εἶναι. i. e. ut*  
*credant ipsi se bonos esse, quid, quod in-*  
*ter requisita summi Boni, est & illud,*  
*quod sit difficulter mobile, adeoque im-*  
*mutabile, Honor a. est Ἰσχυροτέρον τι,*  
*i. e. infirmius quid minusque stabile,*  
*quam ut homines possit efficere felices.*  
 Unde Concludimus Honorem sub ad-  
 pellationem summi Boni non cadere.

## §. IV.

## §. IV.

Sed ne videamur à tramite semel ad-  
 Sprobato aberrare, placet Definitionem  
 modo à nobis datam adsumere enucle-  
 andam: Genus in data Definitione, est  
 Præmium virtutis, idque haud im-  
 merito, cum virtutis Definitio ab Arist:  
 aliisque concinnata honori competat.  
 Argumenta contrarium probantia ad-  
 ferre vetat instituti ratio; utique sic o-  
 missis iis ad differentiam pedem pro-  
 movemus quæ petitur. I. à causa Ef-  
 ficiente. Hæc est vel Universalis vel Par-  
 ticularis. Causa Univ. Honoris est DEUS  
 T. O. M. qui quemadmodum omnis  
 boni fons est & origo, ita & homini  
 naturale quoddam honoris desideri-  
 um instillaverat; quod vel inde ma-  
 nifestum est, quia etiam in lege sua o-  
 mnem reverentiam, observantiam &  
 submissionis atque venerationis signi-  
 ficationem, quâ homines inferioris sor-  
 tis, superiores prosequi tenentur, hono-  
 ris adpellatione complexus est præcepto  
 quarto; Causa particularis est intellectus  
 &

7  
& voluntas; quamvis enim protoplasti lapsu primævo, nunquam satis deplorandam labem in posteros derivarint atque propagarint, principia tamen naturalia quodam modo habilia sunt, ut honestum à turpi discernere queant, quippe qui accuratiori mentis scrutatio in se ipsum descenderit, quam primum eo usque pervenerit, ut sive experientiâ sive curâ, aut institutione & exemplis aliorum, iis se instructum artibus senserit, quarum ope muneri alicui se rite præesse posse sperat, in animo quoddam honoris desiderium deprehendet; quâ naturali sua inclinatione cognatâ, omnia quæ ad hoc vitæ genus necessaria observat, curat, proque habitu rerum vitam suam disponit atque instituit. Causam Materialem cum Philosophis duplicem facimus, vel ex qua, vel circa quam, Ex qua est actio hominis virtuosa. Creatori enim cultu illo exhibito quem præscribit sacra pagina, homini non dum subsistere licet, si insito sibi adpetitu & desiderio aliquando  
la-

8.  
satisfactum iri velit, sed respectu præceptorum reliquorum, vitam, mores adeoque omnes actiones voluntati Divinæ conformes, instituere tenetur, quò rite factò, illum ipse vicissim amat, honori admoveat, inque non vulgari habet pretio. Materiam circa quam constituit virtus, quæ sui cultores, habita ratione adfuitatis condigno quondam brabæo exornat, unde & videmus paucos fuisse tam compositæ felicitatis tantamque à majoribus sibi, jure velut hæreditario comparatam & relictam habuisse gloriam, ut neglectâ arduâ illâ atque spinis undiquaque obsita virtutis semitâ, honoris apicem feliciter ascenderint, nisi ipsi, velis remisque (quod ajunt) naturæ defectum, arte atque condigna educatione conati sint emendare, teste seneca Natura non dat virtutem; Ars est bonum fieri. Causa Honoris finalis est etiam duplex. Absolute ultimus finis ut aliarum omnium rerum ita & Honoris, est gloria summi Numinis; Intermedius in suo genere & se-  
cun-



eundem quid, est splendor virtutis externus; ut & aliorum ad assiduum virtutis studium invitatio.

§ 5.

**E**volutione hactenus Definitionis tam Nominalis, quam Realis simplici tenuique penicillo adumbratâ, restat, ut paucis agamus de quæstione quondam apud Philosophos non leviter agitatâ, scilicet, An honores Academicos, quales sunt gradus Magisterii & doctoratus, ambire liceat? ut enim quovis seculo, non pauci veritatis hostes inventi sunt, ita & ad errores suos palliandos, novas subinde absurditates confingunt, unde & â Scalig: Exerc: 307: sect: 28. haud inconvenienter adsimulantur iis, qui in limo utrumque crus habent impactum, Quo namque enixius alterutro, sese expedire conatur, eo profundius alterum defigunt. Anabaptistæ & Veigeliani, uti omnem Magistratum per hypotheses evertunt, ita quoque honorum gradus simpliciter reji-

ciunt. Sic Andreas Bodenstein Carol-  
 stadius Doct. titulos Academicos Docto-  
 rarus & Magisterii, elatæ mentis indicia  
 atque signa vocavit, atque sic mutato,  
 vitæ genere, Luthero, in quodam so-  
 lemni actu doctorali A B C Darius  
 dictus. horum autem ἀφισολυμία<sup>ν</sup> seu  
 contentum honorum sequenti tormen-  
 to everti posse speramus: Quicquid  
 repugnat ordinationi Divinæ, Decalogo,  
 Naturæ, veræ Politicæ & rectæ ratio-  
 ni, illud admitti nec potest, nec debet:  
 At contemptus honorum sive ἀφισολυ-  
 μία hisce omnibus repugnat, Ergo. Ma-  
 jor sua radiat luce. Minorem proba-  
 mus i. pugnat cum ordinatione Divina;  
 quia veteres instituto satis laudabili &  
 proficuo ex historia Creationis ipsius  
 hominis, tres eosque diversos civilis  
 conversationis ordines eruerunt. Ec-  
 clesiasticum colligunt, facta cap. Gen. 2.  
 mentione imaginis & cultus Divi-  
 ni. Politicus necessario nexu sequitur  
 dominium homini in creaturas conces-  
 sum. Status OEconomicus innuitur de-  
 scri-

scriptione conjugii, quibus ordinibus,  
 teste experientia, æqualis honor deferri  
 neguit. 2. diximus ἀφισθημίαν repu-  
 gnare Decalogo quia vi quarti præcepti  
 tenentur filii honorare parentes; unde  
 firmum hujus nostræ adsertionis habe-  
 mus fundamentum, Filiorum quippe  
 nomine non modo naturales filii veniunt,  
 sed & omnes illi, qui alieno imperio  
 atque potestati subsunt, puta ratione  
 Magistratus Palitici, subditos: ratione  
 Doctorum in Ecclesia, auditores: ratio-  
 ne Dominorum, servos; atque majorum  
 natu, juniores. Cum jam honorans  
 minor sit honorato ( loquimur de ho-  
 nore imperato ) necessario æqualitas  
 honorum non datur, quando quidem  
 ex tenore hujus legis, inferiores obse-  
 quium & honorem eminentioribus præ-  
 stare debent. Pugnatur 3. cum Natura:  
 Cum enim scæmina è costâ viri creata  
 sit, & maritus dicatur 1. Corint: ii caput  
 uxoris, non potest non scæmina, marito  
 tanquam originis suæ principio atque  
 capiti, reverentiam exhibere. 4. Vera  
 Poli-

Politia destrueretur nisi imperantis & obtemperantis honor discreparet, ut enim in Politia omnino requiritur, relatio inter duo, ita ingens sequeretur confusio, si æquales essent omnes, nullus vero obtemperare vellet. 5. Rectæ rationi repugnat hic honorum contemptus, cum enim virtus omnibus æqualiter non insit, sed uni in excellentiori gradu competat, alter vero ad vitiorum scopulos naufragium faciat; non potest honor, qui virtutis præmium est, æqualiter distribui. recta enim ratio suadet æqualibus danda esse æqualia, secundum statutam Reipublicæ. quod nisi esset, nihil causæ haberet homo, cur virtuti operam daret, 6; Pugnat cum lege naturæ, quæ cuique suum tribuendum dicitur esse. dum jam quis honorem meritum eripit digno, indignoque confert, peccat non minus contra generale hoc dictamen naturæ, quam qui proximi sui bona illicito modo ad se pertrahit, eaque deinde pro lubitu aliis distribuit, qui  
 ad

ad ea nihil contulerunt. Homo jam beneficio facultatis intellectivæ animadvertens sibi honorem merito deferri posse, colligit se eundem, eodem jure petere & adfectare posse, quo pactam mercedem, confecto opere, artifex.

§. 6.

**C**oronidis loco verbo uno vel altero inquirendum: utrum honor magis sit honorantis, quam honorati? cujus quæstionis posterius membrum adfirmamus, utut non exigua objectionum plaustra à Philosophis in medium proferri soleant, quibus quidem suo abundare sensu cum veneratione finimus, interim tamen, rationes nonnullas pro nobis facientes adducimus, quorum 1. ab ipsa derivatione desumitur, nam quilibet, qui vel à limine Latium salutaverat, non potest non videre, ab honore denominari honoratum, non vero honorantem, unde firmiter concludere possumus honorem potius honorati quam honorantis esse. 2. petitur à Definitione honoris, quod sit præmium virtutis, ideoque quemad-

modum præmium merenti debetur ab eo, qui eum, pactâ mercede, conduxit, ita non potest non honor, virtutis præmium ei adtribui, qui relictâ lata illa vitiorum viâ, arduæ virtutis semitæ constanti gressu insistere cœperit. 3. argumentum pro nostra sententia petimus à natura transiens, quæ in subjecto ex quo, vel a quo non terminatur. cumque honor absq; dubio actio transiens sit, necessario terminatur in subjecto in quod & in quo, adeoque honor magis honorati erit quam honorantis. Reliqua quæ hic adferri deberent & tractari, haud nescius me plurima intermisisse, habita ratione angustissimæ supellectilis, fusius vetat prosequi instituti ratio; quapropter à Te, Benevole lector, assidua ac humili contendo prece, velis pro ea, qua es humanitate, immaturum hunc tenelli mei ingenii fœtum, candoris Tui velamine obtegere, majoraque: ab iis expectare, quos feliciori ingenio natura, fortuna v. facultatum abundantia beavit.

SOLI DEO GLORIA.

Ad Juvenem

*Humanitate & Eruditione commendatissimum,*  
Dn. ANDREAM HERKEPÆUM,  
Fautorem & Amicum integerrimum,  
Dum Dissertationem suam de HONORE  
feliciter evulgaret.

Σύγγραμμα.

**F**ervida quæis luxus concusserat arma, do-  
lorem,  
Protinus his dictis sustulit ira Jovis;  
Quid clypeata adeo concurrunt agmina campis?  
Ferreæ telorum bulliet usque seges?  
Nec placet immotis, præbens pax otia fessis,  
Turzida quâ conor flectere corda Deus.  
Quin age jam faciã circumdata colla catenis,  
Sitis ut heic comites, vos terat ast rabies:  
Hinc dolor argenti sequitur pede tristia luxus  
Signa pedum, curas concomitatur HONOS.  
Cernere quin possis quo tendat fabula Amice,  
Ambigit ut nemo, sic facile augur ero:  
Pondera pensabit, quæ lassus sæpe iulisti  
Fructus honos oneris quem Tua charta  
gerit.

L. Mq<sub>3</sub> quamvis occupatissimus  
dedit

DANIEL STECKSENIUS.

*Literarum & morum laude confpicuo*  
Dn. ANDREÆ C. HERKEPÆO,  
Amico suo honorando,

*De*  
HONORE,  
honesto proposito,  
erudite differenti,  
honores vaticinantur :

**N**aturam calamo dum docto pingis  
honoris,  
Semper honorandus suaviter amice  
venis,  
Nempe : honorandus Musisque tuisque  
& amicis,  
Sic quoque honorandus quondam eris  
& patriæ.

MICH. SADELIIIS.

*Et*

**Q**uem jurat Aonios mites decerpere fructus,  
Hunc uber messis, gloria honorque manet.  
A puero semper tu his es versatus in hortis ;  
Ergo tibi hic fructus fert labor ecce tuus :  
Ingenii fœtus ergo doctosque labores  
Grator amice tuos, qui meruere decus.

JOHANNES Bihlmann / I. F.

